


Exemplum geniturae propositae



- Conclusio prima. Natum non interiturum mala morte, designat fortuna in cuspide octavae, & Almutem significatoris mortis Sol fortis & bene dispositus.
- Conclusio secunda. Occasionem mortis suae credo futuram ægritudinem ex causa acuta & calida, id trahitur ex dispositore mortis in signo igneo, cui rei attes tatur combustio domini ascendentis.
- Conclusio tertia. Quadratus Solis ad Saturnum, portendit mortem ex dolore cordis aut stomachi.
- Conclusio quarta. Moriatur autem apud consanguineos suos, in terrisq; proprijs in diuitijs & honore. Arguitur hoc, quod significator mortis lit in exaltatione sua. Pars quoq; mortis & dominus eius in eadem quarta, & quod Sol sit primus dominus triplicitatis huius octavae domus saluus.
- Conclusio quinta. Ipse quoq; plurimum ad occasionem suae mortis adiurabit. Nam dominus septimae est in ascendente, & dominus ascendentis applicat Almutem mortis.
- Conclusio sexta. Bona sua pluribus euenient, ad quos non pertinebant, id ostendit Iouis debilitatio, qui est secundus dominus triplicitatis domus octavae.
- Conclusio septima. Maiorum suorum egregia facta diligenter perquirendo ante oculos ponet, & in illis admirabitur utq; imitator eorum fiat studebit. Id patet ex tertio domino triplicitatis huius domus fortunato ex trigono in receptione Solis.
- Conclusio octava. Magne iræ uirum portendit Pars fortunæ in octaua domo.
- Conclusio nona. Venus quoq; in hac octaua domo profectum aliquem ex hominibus malis ipsi promittit.

Finis primi libri de iudicijs Natiuitatum.